



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 455. De familia tradita in villa Borsun intra pagum Scorelingo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
1010 vs-  
que 1014  
regnante  
Heinri-  
co II.

§. 455.

Adolescens heinricus tradidit I familiam in *burfina* (r).

§. 456.

Tradidit geroldus pro filio suo geroldo LX. iugera et III. iurnales. (f)

tra-

tientibus eius fratribus Ottone, Erico et Frederico, duos manfos in feudum contulit Hilmaro de Monichaufen dicto eiusque masculis heredibus recte linea. Ex quo non inepte colligitur, *Gherbertum* nostrum inter progenitores comitum de Hoja esse referendum. Quodsi igitur admittere sententiam nolis arbitrans, *Gherbertum* fuisse filium *Wulfarii* ac fratrem archiepiscopi *Adalaci* atque *Hunoldi III*, probabilissimum tamen erit, eundem *Gherbertum* fuisse filium *Walberti*, qui testante §. 392 in pago Enterigawi in villa Buriun quaedam tradidit.

De villa  
Burfino  
in pago  
Scotelin-  
go.

(r) Villam *Burfina* fuisse in pago *Scotelingo*, docet nos abbas Saracho in suo Registro B et P. A. C. Intelligi ergo videtur vicus *Borfem* seu *Borsum* in episcopatu Hildesiensi sub praepositura cathedralis ecclesiae. Ad quam familiam spectarit adolescens *Heinricus*, an ad nobiles dominos de Escherde, seu ad progenitores comitum de Poppenborg, videant alii.

De villa  
Manes-  
rode in  
pago  
Hessi Sa-  
xonico.

(f) Villa, in qua *Geroldus* LX iugera et III iurnales donauit, in codice nostro distincte legi non potuit. Eam autem supplere poterit Registrum abbatis Sarachonis, in quo haec verba sequuntur et leguntur: *In pago Hessi Saxonico in uilla manesrode continentur salice terre LX. iugera et tres iurnales que luider et enni. bo habent et persoluunt quotannis IIII. oues XL. modios filiginis et XXX. modios auene.* In quibus verbis mentio *salice terre* notatu digna est. Vir quidam eruditissimus putat, terram salicam seu Seliland esse terram, in qua mares excludunt feminas a possessione; Frider. autem Gladouius arbitratur in *der Reichs-Historie von Teutschland* L. II. p. 101. §. 23, terram salicam esse terram immediatam. Quemadmodum autem in utramque sententiam melius inquirendi occasio erit in *Chentela Corbeiensi*, ita hic potius quaerimus, quinam vicus designari intelligatur per villam *Manesrode*? Respondemus autem, procul dubio vicum *Manrode*, vnum milliare circiter distinctum ab oppido et monasterio *Helmers-husen* ad *Dimolam* in Landgraviatu *Hassiae*, in centum venire. A quodam *Manno* eundem vicum nomen accepisse, negari non potest. *Mannum* celebrabant olim Germani nostri carminibus, Tacito teste, tanquam filium *Tuissonis*, conditoris suae gentis. Villae nostrae appellatio docere nos potest, nomen *Manni* inter Germanos nostros non fuisse postea inusitatum. Quamuis enim perhibere non audeamus, ab eodem *Manno* villam nostram nomen accepisse, siquidem *Mannus* filius *Tuissonis* nunquam in has regiones videretur penetrasse; inficiaturum tamen neminem putamus, nomen *Manni* fuisse nomen, proprium viris, olim in nostra Germania tritum et vsitatum, atque ab eo multa nomina composita fluxisse v. g. *Mainwerc*, *Hrodman*, *Mainbred*, *Wilman*, *Heriman*, *Mainbard*, *Witman*, *Osman*, *Redman*, *Masnbold*, *Mennio*, *Mainberi*, *Aldman*, *Mennic*, *Meindac*, *Mainric*, *Goderman*, *Wigman*, *Saluman*, *Maginbern*, *Homan*, *Tiadman*, *Reynman*, *Godesman*, *Liudman*, *Liefman*, *Maynward*, *Woldman*, *Radman*, *Mayndag*, *Magengod*, *Adiman*, *Foraman*, *Meingrim*, *Meynword*, *Adilman*, *Hademan*, *Folkman* et *Meginolt*, quae nomina propria in traditionibus nostris, ac Registro abbatis Sarachonis deprehendimus. Forsan Germani nostri hisce nominibus compositis docere nos voluerunt, quantus vir fuerit *Mannus*, eius *Tuissonis*, ita, ut qui filium suum appellauerit *Mainwercum*, dicere voluerit, filium suum tantum opus (*Werc* enim opus denotat) effecturum, quantum olim effecerit *Mannus*, et sic in ceteris. In lingua *Hindoostana*, qua vtuntur incolae in imperio magni *Mogulis*, non solum sunt multa vocabula, quae magnam similitudinem cum nostra lingua Germanica habent, sed etiam reperiuntur in ea nomina composita ex *Man* seu *manno*, voce, quae in lingua *Hindoostana* de-

notat